

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Menippus sive dialogorum satyricorum centuria  
inanitatum nostratum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

9. Proverbia

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](#)

*A.* Nescis tu quosdam se obtrudere quosdam  
invitis obtrudi, alios intrudi, extrudi alios, ac in-  
terdum oves pastoribus, interdum pastores ovi-  
bus dari in poenam? *B.* Omnidem:  
sunt enim suppliciorum quedam loca, delinquē-  
tibus distribuenda. *A.* Etiam cognatis? *B.* Ab-  
sit, nam hi privatim emendantur, illos rustico-  
rum impietas coerceat. *A.* Quid si eiusdem sitis  
cū rusticis impietatis, haud enim heluaris quod  
arbitror minus? *B.* quis non inter barbaros hos  
obrigescat. *A.* Atqui Christi Apostoli ferinos  
planè cicurārunt. *B.* Alia sunt tempora. *A.* At  
non aliis Christus. *B.* Eruditio oppidis debetur:  
imperitia pagis. *A.* Si sanctitas vita adsit, valeat  
eruditio. *B.* Non ferunt hæc inculta loca. *A.* At  
dum Ecclesia vobis est inculta, puro neglectori-  
bus omnibus destinatum supremi supplicii lo-  
cum.

## 9. PROVERBIA.

*A.* Id equidem haud laudo, quod nulla diei di-  
stributio in studiis voluntariis. *B.* Ignosce  
mihi, nunquam potui ad clepsydram sapere.  
*A.* Atqui natura ipsa in certa tempora operas  
disponit. *B.* Sit sane alibi, studia animum inte-  
grum, non horologiis secundum volunt. *A.*  
Hoc vero studium haud est, legere proverbia:  
lusum ego dixerim. *B.* Ego vero humanæ sapi-  
entiae, & laborum omnium compendium æsti-  
mo. *A.* Vah! vulgi dictoria, & aniculorum sen-  
tentioꝝ sapientiae nomen habeant? *B.* Credet  
mihi, quæ tot laboribus, periculis, erroribus, in-  
quisitionibus,

quisitionibus, humano generi constitere, ea huic libello inclusa sunt, ut facile orbis terreni maximas & axiomata dixeris. A. Planissimè pro Diana ranam diligis B. Scito meras mercuriales statuas esse, quæ stolidam iuventutem, in rerum omnium experimenta magna spe accinctam deviarum admoneant. A. Id Philosophiæ officium est B. Imo senum, qui post multas ambages ad se tandem defessi redierunt, & brevi erroris confessione nobis consultum volunt. A. Ecquid doceat tot sententiarum chaos? B. Nempe mundus ipse chaos est, cui te securissimè committis; A. Rectâ penetrandum est, & veritati inhærendum. B. Tu veritatem inseparabis? quæ toties obnubilatur, quoties alia temporis, alia ætatis tuæ facies est, non ergo hactenus aliquando aberrasti? A. Fatendum: sed quam procul aspexi veritatem, eam assecutus sum. B. Cate inter verum & fictum malè distinguas. A. Nec tamen vulgi proverbiis hoc utar. B. Tu vulgus appellas, sapientum concionem? A. Sint sanè quædam bona, quis reliqua turbæ usus sit? B. Et olitor sæpè idonea dixit. A. At Philosophi semper optimæ. B. Vix ullum credo Philosophum natum, qui non ex hominum turmis suam formarit sapientiam. A. At quæ iam conscripta est, securissima est. B. Nescio; eius sanè certissimus sum, qui nobis sapientissimi creduntur, & omnium scientiarum libros evolvunt, eos ad unum alterumve domesticum experimentum formare optimam vitæ suæ & alienæ rationem.

19. M E N-